



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-571325-p0002-2

DFG

DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE
ENODATIONEM

LEG. XXI. ET XXII.

TIT. PANDECTARUM
POSTREMI,

Quæstionibus materiæ subiectæ
convenientibus illustratam, & ad disputandum

In Inclytâ Leucoreâ

Ex Decreto atq; Authoritate Amplissimi

Collegij Juridici propositam,

SUB PRÆSIDIO

H E N R I C I C O S E L I I

de Pezlinovez J. U. D. Facultatis Juridicæ Assessoris
gravissimi, nec non Curiæ Electoralis Advocati Ordinarii,
Præceptoris, Promotoris atq; Affinis æternum
venerandi.

Eruditorum Examini subjicit

C H R I S T I A N U S K L E N G E L,

Dresdensis.

Ad diem 15 Septembri. F. m.

horis & loco consuetis.

WITTEBERGÆ,

Excudebat JOANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr.

Anno 1647.



DEO OPTIMO MAXIMO DORTMUNDI

EDITIONIS

LEG. XXXI. ET XXXII.

MIRACULATRUM.

POTERI

CONFUSIOINIS JUSTITIAE INPLICATIS.

CONCURRENCEM PLEBISCITARIAE.

EDITIONIS AMPLIORIS.

2010

ENILO COSEN

EDITIONIS IUDICIALE

I. N. J.

LEX XXI.

Non debet cui plus licet, quod minus est non licere.] Cum hac regulâ concordat l. in eô. no. in pr. ff. b. tit. c. cui licet. 53. de R. Jur. in 6. & ipia ratio naturalis hoc dictitat, ut ei cui plus licet, utiq; liceat & id, quod est minus. Ideoq; cui mandatum est ut centum aureis emeret, ei mandatum etiam videtur multò magis, ut quinquaginta compararet. §. is qui exequitur g. Instit. mandat. Item ad duas res petendas procurator datus, si unam rem petat, exceptione non excluditur, & rem in judicium ducit. l. ult. in fin. D. de procurat. Ei etiam qui defendit eum, cuius nomine ipse non agit, liberum est vel in unam rem defendere, quia in toto & pars continetur. l. in toto. 113. D. b. tit. Qui igitur totum habet, partem non habere non potest: qui totum petiit, & partem, consequenter petiit. Unde rei judicatæ exceptio nocet, cum pars in toto sit, eadem enim res accipitur, et si pars petatur ejus, quod petitum est. Neq; interest utrum in corpore hoc queratur, an in qualitate, vel in jure, l. si quis cum totum. 7. in princ. D. de exc. reijud. Itaq; ut in toto pars est, ita & minus in eô, quod plus est. Qui ergo quod plus est habet, quomodo potest id non habere quod minus est? Ideo nemo qui actionem habet, exceptionem non habet. l. invit. 165. §. i. D. b. tit. Ex hac Regulâ JCti manifestè concludunt, quod argumentum à majori ad minus affirmativè sumptum, validum sit & usitatum in jure Dd. in auth. multò magis C. de SS. Eccles. sic etiam habet regula Canon.

A - 3

supr.

supr. cit. Cui licet quod plus est, utiq^z licet quod minus est. Exempla in jure occurunt plurima, V. C. Si Pater potest occidere filiam adulteram cum adultero, in ipso flagitio deprehensos, multò magis licebit ei verberibus aut contumeliis eos afficere. l. nec. in ea 22. D. ad L. Jul. de adulter. Item qui invitatis alienare potest, multò magis iisdem & ignorantibus & absentibus alienare poterit. l. qui potest 26. D. b. tit. Nam plus est, invito aliquo alienare posse, quam absente & ignorante, quoniam absens forsitan alienationi contra dicturus non fuisset. Et alias tritum est: Frustrè expectari præsentiam aut scientiam ejus, quo invito etiam actus expediri potest. l. aliquando 13. §. ali. D. ad SCrum. Vellejan. Eadem ratione, cui jus est donandi, etiam jus est vendendi & concedendi. l. cuius. 163. D. b. tit. Plus enim est donare, quod profusionem, & diminutionem quandam Patrimonii continet l. filiufam. 7. D. de donationib. quam vendere, quod administrationis & utilitatis est propter pretium; l. actionum. 25. §. actionum autem. l. D. de O. & A. apt etiam concedere quod est amicitia, ut in commodato, & precario l. l. D. de precario. alia exempl. videri possunt apud Regulistas hic. E contrà etiam regula hæc, à minori ad majus, negativè procedit. Cui enim denegatur quod minus est etiam quod plus est videtur prohiberi. Exempla vid. in l. relegatorum. 7. §. potest alieni 22. ibi: Sic cui honor unus interdictus sit, non tantum eum honorem petere non potest, verum ne eos quoq^z qui cō honore majores sunt. D. de interdict. & relegat. & l. qui indignus 4. D. de Senatorib. l. cui pacto 5. ibi: etiam naturalem habet æquitatem, ne fil. qui careret minoribus fruatur majoribus. D. de servis exportand. &c. & denig^z in c. cum illorum. 32. ibi: cum majora intelligentur illis prohibita, quibus veritas sunt minora &c. x. de sent. excommunicat. Sed de hoc argumentandi modō, à majori ad minus, & vice versa, à minori ad majus in enodat. l. 110. D. b. tit. plura subjiciemus. Fallit autem hæc Regula I. quando est facta divisionis potestatis, secundum plus & minus. Tunc enim ille qui

qui habet potestatem in eo quod plus est, non potest id quod minus est, cum alteri specialiter illud sit attributum. Sic Præses jus gladii habet, quod maius est, deportare tamen non potest, quod est minus. *l. illicitas 6. §. penult. D. de offic. Praesid. l. i. §. deportatos autem 3. D. de legat. III. l. inter pœnas 6. §. i. D. de interdict. & relegat.* Cujus rei ratio sane alia, haud dari potest quam hæc: Magistratum ea quæ meri sunt Imperii jure Magistratus sibi arrogare non posse, nisi speciatim illa lege concessa habeat. *l. aut damnum 8. §. i. D. de pœn.* Cum igitur Præsidi Provinciæ jus gladii atq; in metallum damnandi duntaxat nominativum concessum sit, ad ius deportandi certè, licet minus hoc sit, extendi ista potestas non potest; præsertim cum *Jetus in dict l. 8. §. i. D. de pœn.* jus gladii ita strictè accipiat, ut nec securi, nec laqueo, nec veneno nec quo alio modo, necādi potestatē Præsidi concessā esse statuat. Ita etiam judex qui cognoscit de capite hominis, de re pecuniariâ aliquando cognoscere non potest. Exemplum habetur *in l. solemnis 6. §. i. D. de iudicis.* Ibi latrunculatori, potestas de re pecuniariâ inquirendi non datum, cum tamen eidem & conquirendi & persequendi latrones fuerit. *vid. Nov. 8. c. 13. N. 128. c. 21.* Perdit quoq; 2. Regula hæc officium suum in Individuis. Exemplum est in hereditate, quæ est res individual. *Pompon. 8. in fin. D. de R. V.* Quamvis enim aliquis hereditatem adire vel repudiare possit; unam tamen partem adire vel repudiare non potest, *per text. in l. i. & l. 2. D. de acquirend. vel amittend. hered.* Unde etiam hereditas incumbit, ut aut in omne defuncti jus succedat, aut universum repudiet. *l. heres. 37. & l. cum hereditate 55. D. de acquir. vel amittend. hered. janet. l. quidam. elo 20. ibi: ut vel omnia admittantur vel omnia repudientur* *C. de jur. deliberandi Vid Dec. & Regulisti hic. Sed jam queritur:*

Utrum Emphytevtæ jus suum Emphytevicum sine consensu domini donare possit?

In



In antecedentibus dictum est, quod is qui jus donandi habet, multò magis etiam jus vendendi habeat per l. cuius 163. D. b. tit. Cui tamen Regulæ maximè contraria i. l. fin. C. de jur. Emphytevt. quidam J. Cti putant, quando jus Emphytevticum sine domini consensu vendi non posse, id ipsum tamen ex sententia Accursii (in d. l. ult. ad verb. alii vendere...) quamvis domini consensus non interveniat, regè donari posse concludunt. Ias. in d. l. ult. n. 69. Et 73. Bronch. evan. cent. i. assert. 80. Et alii quos recenset Jul. Clarus libr. 4. sentent. S. emphytevsis, quest. 15. n. 1. Quapropter ad dissolendum dubium hoc loco motum Dd. dando rationem diversitatis, respondent. vid. Facbin. lib. 3. controv. cap. 97. in pr. Philipp. Maith. hic. n. 12. Et seqq. Quam responsonem cum Hornon. hic & aliis non admittimus, quin potius Emphytevtam jus suum sine consensu domini neq; vendere, neq; donare posse, ob rationes sequentes existimamus. I. Plurimum enim domini interest ut consensus ejus requiratur, primò ut sciat quis novus sit Emphytevtæ, deinde ut prius quam possessionem ei concedat, & eum de re Emphytevta investiat, providere possit, ut non solum quinquagesima præstetur, sed etiam annuus ipse Canon Emphytevticus. argum. l. 2. Et l. 3. C. de jur. Emphyt. Et cap. ult. x. de locat. Et conduct. Accedit etiam textus authoritas, & quidem in illis verbis: Minimè licere Emphytevtæ sine consensu domini meliorationes suas alii vendere, vel jus Emphytevt. TRANSFERRE. Hoc verbum (TRANSFERRE) excludit certè etiam donationem, cum per eam jus Emphytevticum transferatur in donatarium. Et licet in venditione domino, propter pretii oblationem facienda est denunciatio, exinde tamen non sequitur, consensum domini requirendum non esse si Emphytevtæ velit jus suum donare. Quando enim venditur jus Emphytevticum tunc lex concedit domino emere volenti, prælationem. Quando verò alter in alium transfertur sive per donationem, sive quemcumq; alium modum illud in alium Emphytevtæ transfe- rat,



rat, translatio nisi consensu domini facta sit, rata non erit, l.3. d. tit. ibi: consentientibus dominis ad alios jus suum seu Emphyteumata transferre. eò quidem minus, quod domini interest scire quem deinceps habiturus sit Emphyteutam, num solvendo Canoni idoneus sit: cumq; laudium dominus propterea ab Emphyteuta novo accipiat, ut eum in possessionem rei Emphyteuticæ inducat, facile intelligi potest, agendum prius cum domino esse, ut eum cui Emphyteus donata est, ad possessionem admittat, sciatq; adversus quem deinceps actione in personam de Canone constituto experiri possit vid. Sichard. ad d. l.3. C. de jur. Emphytent. n.19. Bartol. in l. domus 71. §. ult. D. de Legat. I. n. 2. Donell. libr. 9. Commentar. Jur. Civil. c. 14. princ. alia causa est. Andr. Fachin. lib. 3. cap. 97. & libr. 6. contr. jur. civil. cap. 98. Philipp. Matth. hic. n. 15.

Lex XXII.

In personam servilem.) Omnes homines aut liberi sunt aut servi l.3. D. de stat. homin. princ. Instit. de jur. personar. Liberi dicuntur quibus naturali facultate licet facere quicquid lubet, nisi quid vi aut jure prohibetur §. 1. Instit. d. tit. l. 5. D. eod. Servi autem sunt qui hanc libertatem non sic habent, sed ex constitutione juris, alterius domini contraria naturam (quatenus scil. repugnat conditioni, quam homo initio habuit quasi ab ipsa natura quæ omnes liberos produxit, quo sensu etiam omnes homines aequales esse dicuntur l. 32. D. d. tit. vid. Reinhard. Bachov. ad §. servitus 2. Instit. de jur. personarum) subjecti sunt. l. libertas 4. §. servitus 1. D. de stat. homin. Natura enim servos nesciebat, cum jure naturali omnes homines liberi nascerentur: sed ex bellis quæ jurisgen- tium sunt, servitus est inventa, l. ex hoc jure 5. D. de f. & Jur. Et cæpit hæc potestas homini in hominem primum concedi agentibus, loco beneficij, ut eos qui ex clade superstites, in victorum potestatem venissent, humanitas causâ servarent, unde etiam servi à servando dicti

B

sunt,

Sunt. §. servi 3. Instit. de jur. personar. l. libertas. 4. §. servi ex eo 2. D. de stat. homin. Servi autem aut nascuntur, aut sunt: Nascuntur ex ancillis nostris: sunt, aut jure gentium id est ex captivitate; aut jure civili; cum liber homo major viginti annis ad pretium participandum sese venundari passus est. citat. §. servit. & Instit. de jur. person. Causæ igitur servitutis sunt: nativitas de qua in tot. §. 4. Captivitas; ut scil. capti ab hostibus efficiantur servi d. §. 4. l. 4. §. 2. D. de stat. hom. Verum hæc quidem olim ita obtinebant: hodiè vero apud Christianos captivi in bellis nequaquam tales servi sunt, quales olim fuere: nisi quatenus hoc jure contrà immanissimos Turcas etiam nunc utimur, qui vicissim nostros, si quando capiunt, in durissimam inclemensissimamque servitutem redigunt. vid. Bartol. ad l. hostes. 24. D. de capt. & postlim. revers. Quamvis inficiari non possimus adhuc aliquam saltem servitutem, vel servitutis imaginem quandam, quam nimirum Reges, Principes, cæterique Domini, hodie pro diversâ Germaniæ consuetudine, in rusticis, colonis adscriptiis, & propriis hominibus habent; etiamnum in usu esse. Per ea quæ tradunt Dd. ad §. præjudiciales 13. Inst. de Actionib. id quod etiam ipsa experientia testatur. vid. omnino Oldendorp. class. 3. art. 9. de agricolis, colonis, rusticis & censitis, usq; ad fin. Venditio: Quando homo liber major 20. annis ad participandum pretium sese venundari passus est. dict. §. 4. add. Exod. cap. 21. vers. 2. & seqq. Deuternom. 15. vers. 12. Quem tamen modum abrogavit Leo Imperator Nov. Const. 59. Et denique quando quis propter crimen capitale per sententiam condemnatus est ad mortem: nam tunc servus poenæ efficitur & libertatem amittit l. qui ultimo 29. D. de pœn. unde & testamentum facere non potest l. ejus qui 8. §. si cui 1. D. qui testam. facere poss. Secundum jus novum nullus liber fit per sententiam servus poenæ. vid. Nov. 22. cap. 8. vid. omnino Dn. Carpz. in prax. criminal. part. 3. quest. 135.

B. 2. 3. & seqq. Retinetur enim matrimonium cum damnato ad triremes, qui & suum peculium quoque habet, labore & industria sua in ipsis triremibus quasitum de quo & testari potest. *Wesenbec in 20. de testament.*
& qui testament. fac poss. Hoc tamen sicco pede minimè prætereundum est quod aliqui effectus (de quibus infra) servitutis Romanæ hodiè etiam in delinquentibus reperiantur, adeò ut restitutione omnino opus sit. *vid. l. i.*
C. d. sentent. pass. & restit. Exemplum reperitur in seditionis istis hominibus qui in Comitiis Augustanis An. 1525. & Spirensibus An. 1626. famæ & honoribus restituti sunt.
Recessus August. verba ita se habent: Vnd ist derhalben weiter für qui vnd nothdurftt angesehen/ dietweil in jüngster Aufruhr: vnd empörung / so sich an vielen Orthen im Reich begeben haben/ eiliche Unterthanen wieder ihre Herrschafft vnd Obrigkeit empöret vnd abgesallen seyn / vnd dadurch trefflich grosse Straffe verwircket haben/ auch zum theil gar infames geachtet werden möchten. Und aber derselben eiliche als Richter / Urtheilssprecher / vnd Zeugen/ sol anders Recht vnd Gericht wiederumb gehalten werden; von Hohen vnd Niedern Gerichten gebraucht werden müsse/ daß dann von allen Ständen Ihren Unterthanen / so gedachter Aufruhr verwandt vnd theilhaftig gewesen / vnd von Ihren Herrschaften wiederumb begnadet zu Hulden angenommen worden sind / zugelassen/ daß Sie vngesehn solcher ihrer Verhandlung / an den Gerichten / als Richter/ Urtheilssprecher / vnd Zeugen/ vnd sonst zu allen Rechlichen sachen unverwürflich gebrauchet werden / bis auff weitere handlung / vnd nach beschluß gedachtes erstgewesenen Reichstages ic. In recessu Imperij inter alia & hæc repetiuntur, versic: Vnd wievol der gemeine Mann &c. ibi: So sol eine jede Obrigkeit macht vnd gewalt haben; Ihre Unterthanen so sich in Gnad vnd Ungnade begeben / vnd gestrafft worden seyn nach gelegenheit vnd Ihrem gefallen/ wiederumb in vorigen Stand ißrer Ehren zu sezen/ zu qualificiren vnd geschickt zu machen/ Kraft vnd Gericht zu besizzen/

V ii

Herr

Herrschafft zu geben / vnd Ampe zu tragen/ darzu Sie vnd
andere in ihen Anliegen vnd beschwerden / jederzeit gnädig-
lich zu hören/vnd nach gestalt der Sachen gnädiglichen vnd
forderlichen bescheid zu geben &c. Schneidvv. ad d. S. 4. Inst.
de jur. personar.

N U L L A] Servorum conditio eō tandem devenit,
ut pro nullis l. quod attinet 32. D. b. tit. pro mortuis. arg.
l. servitutem 209. D. b. tit. l. intercidit 59. in fin. ibid. quia
servitus morti assimilatur D. de condit. Et demonstrationib. Et
propemodum instar brutorum animantium habitu sue-
rint. vid. §. 1. Inst. de his qui sui vel alien. jur. Indeque fa-
ctum est , ut etiam eorum incapaces redditi fuerint
servi, quæ alioquin hominibus liberis de jure civili or-
tebant. Hinc neque testamentum condere l. filius fam.
19. D. qui testam. facer. poss. neque testes esse l. quoniam n.
C. de testib. neque judices l. cum prætor 32. D. de judic. neq;
tabelliones, l. generali. 3. C. de tabulariis neque alijs officiis
publicis fungi poterant d. l. cum Prætor 52. D. de judic. l.
quid attinet 32. D. b. tit. neque etiam aliquid proprij habe-
bant, sed quicquid acquirebant, id omne ad dominos
non solum scientes, & ratum habentes sed etiam igno-
rantes atque invitatos pertinebat. §. in potestate i. ubi
Schneidvv. Inst. de his qui sui vel alien. jur. sunt Et §. item no-
bis 3. Inst. per quas person. nobis acquiritur plura vid. apud
Philipp. Matthæi hic n. 8. Et seqq: Unde præsens regula quo-
que nata est , quæ obligationis vinculum à servo re-
movetur. Quam tamen sub distinctione intelligendam
esse demonstrabimus.

Cadit Obligatio] Obligatio n. alia est civilis, alia natu-
ralis, alia mixta. vid. enodat. l. 14. b. t. Naturalis obligatio
dicitur non à naturâ nobis cum bestijs cōmuni, sed à na-
turâ humana seu rectâ ratione, quæ honestū ab inhono-
sto secernit, & in solo æquitatis vinculo consistit. Cum

igitur hæc obligatio solo æquitatis vinculo sustineatur,
recte etiam in servum perinde, ut in hominem liberum
cadit, quia jure naturali omnes homines liberi atque
æquales censentur. *I.* quod attinet 32. *D.* h. tit. Eo etiam
jure omnes, & uno naturali nomine appellabantur ho-
mines, & liberi nascebantur. *I.* manumissiones 4. *D.* de *I.* &
Jur. & (ut Ictus Tryphoninus in *I.* si quod dominus 64. *D.*
de condic*t.* indebiti) libertas naturali jure continetur do-
minatio ex gentium jure introducta est. Unde sequitur,
ut servi naturaliter obligentur, adeoque quod manu-
missi solverint non repeatant velut indebitum. *I.* si tuo
servo 83. *D.* de resolutionib. & vicissim alios obligent: adeo-
que si servo, qui meus aut alienus erat, posse a manu-
miso, vel alienato ex mutui aliavé aliquâ causâ sol-
vam, ut recte solvam ac liberer *I.* quod servus 34. *D.* de so-
lutionib. *I.* servi ex delictis 14. *D.* de Obl. & Act. & quamvis
existimans me ei aliquâ teneri actione, solvero, tamen
repeterem non possim, velut indebitum per condicio-
nem, quia naturale debitum agnovi. *I.* si quod dominus 64.
D. de condic*t.* indeb. Excipiuntur tamen nonnulli casus
quibus servi nec naturaliter quidem obligantur, quos
recentet Cujac. libr. obs. 8. cap. II. V. C. Si servus pro a-
lio extra causam peculiarem, vel non in rem domini
intervenerit, ne naturalis quidem obligatio inde nasce-
tur, & propterea soluti condic*t.* erit, neque in domi-
num de peculio actio dabitur. *I.* licet tamen 3. §. Si filius-
famil. 5. ibi: Si igitur quasi intercessor servus intervenitur
non rem peculiarem agens, non obligabitur dominus de pecu-
lio. *I.* non solum 49. §. si ignorante me *I.* *D.* de peculio. *I.* servus in-
scio domino 19. cum *I.* sequent. *D.* de fidejussorib. Si expromis-
sor extiterit, si arbitrium compromiserit, si iusjurandum
detulerit in judicio & alter juraverit, si promiserit
judicio sisti, ne naturaliter quidem obligatur §. præterea
3. vers. non idem jur. est. Inst. quib. mod. tollitur oblig. *I.* in
persona 30. §. qui pecuniam *I.* vers. quod si qs. fidejussor *D.* de

pactis. d. l. licet 3. §. si filius fam: i. D. de pecul. l. si servus 9. D.
si quis cautionib. in jud. sist. causa &c. vid. Cujac. loc. supr.
cit. Delicta quod attinet ex ijs servos obligari constat
naturaliter & civiliter l. servi ex delictis 14. D. de O. & A.
Jura enim à quovis exigunt ne delinquat: unde etiam
LL. quæ delictis positæ sunt, omnes omnino homines
ligant. l. 2. D. de LL. Et quamvis videatur dicendum,
quod servi ex delictis naturaliter obligari non possint,
propter defectum consensus, ex quo obligatio natura-
lis oritur. gloss. in §. jus autem gent. 4. vers. penè Inst. de
I. N. G. & C. attamen contrarium statuendum est, præ-
sertim cum gloss. opinio (quod ad obligationem ex de-
lictis provenientem attinet) ferè uno ore à Dd. repro-
bata sit. vid. l. 1. D. de furt. & §. 1. Inst. de Obligat. que
ex delict. nasc. ubi dicitur. Furtum jure naturali prohi-
bitum. & Dd. in l. ex hoc jure 5. D. de f. & Jur Ubi etiam
in delinquentे consensum esse affirmant, cum delin-
quendo voluerit se ad poenam delicti obligare per l.
Imperatores 34. ibi: omisā enim ipsius cause inquisitione,
ipse de huic poenae subdidisti D. de jur. Fisci. & arg. N. 7. c.
quia vero Leonis. 5. ibi: videmus autem quosdam sic ama-
tores periculi constitutos, ut præsumant, adea, quæ interdi-
cta sunt accedere, & circumventionem facere legibus, ex
voluntate, & præsumptione quam habent. &c. Constat
præterea delinquentem ex aliâ ratione teneri. Obligatio
enim naturalis non solum oritur ex consensu
sed etiam ex naturali æquitate juris gentium, adeò ut
deficiente consensu, quotiescumque naturalis æquitas
suadet quem obligari. vid. Paul. de Castr. in d. l. ex hoc
jure 5. D. de f. & f. arg. l. cum amplius 84. §. 1. D. h. tit. Hinc
etiam dicitur obligatio ex sententia condemnatoriâ
nasci, licet condemnatus non consentiat cum judi-
cium reddatur in invitum. l. inter stipulationem 83. §. 1.
D. de V. O. Ex illâ scilicet æquitate juris gent. quæ
vult Magistratibus obtemperandum esse. l. veluti 2. D.
de

de J. & Jur. vid. Dd. ad L. Julianus 60. D. de conduct. indebit. Subest ad huc quoque alia ratio, quæ desumi potest, ex illâ æquitate naturali vel juri gentium, prohibens delicta, & dictans neminem laedendum esse, alias n. societas humana humana vix consistere posset. text. not. in l. si à reo 70. §. id quod s. ibi: nam pœnas ob maleficia solvi, magna ratio suadet. D. de fidejussionib. l. si unus 27. §. parta 4. ibi: expedit enim furti vel injuriarum pœnam. D. de pactis. l. ita vulneratus 51. §. estimatio 2. vers. quod si quis absurdè ibi: cum nec impunita maleficia esse oporteat &c. D. ad L: Aquil. l. si operis 14. ibi: cum non remitti pœnam facile, publicè intersit, ne ad maleficia temerè quisquam profiliat. C. de pœnis. l. quicunq[ue] in hac sacra. 8. §. universi 3. vers. si verò ignorante, ibi: & in pœnam suam & in aliorum coercitantur exemplum &c. C. de heret. & Manich. Notandum tamen probè est: quod licet servi ex delictis non naturaliter modo sed civiliiter quoque & sic efficaciter obligentur, conveniri tamen eō nomine vix possunt, cum adversus dominos ipsorum actione noxali, ob delicta ejusmodi commissa, rectè agatur. l. i. & tot. tit. D. de noxalib. Actionib. Judicia enim & lites duntaxat, inter homines liberos exerceri, manifestum est. ex l. servus 19. D. de fidej. l. vix certis 53. D. de judic. Quod igitur Jctus Ulpianus hic indistinctè ait, in personam servilem nullam cadere obligationem, hoc idem ille Ulpian: in d. l. servi 14. D. de O. & A. ita distinguit, ut servi ex delictis quidem obligentur, & obligati remaneant si manumittantur. Ex contractibus autem CIVILITER non obligentur, sed naturaliter saltem & obligentur & obligent. Hæc Regula itaque accipienda est de obligationibus, quæ ex contractu oriuntur sive Civiles sive prætoriæ, quæ & ipsæ in personam servilem non cadunt l. tutelas. 7. §. 2. D. de capit. minut. ut sententia sit: In personam servilem nulla

nulla cadit obligatio, scil: Civilis vel Præatoria, quæ ex aliquo contractu oritur. Igitur si quis servo pecuniam credit, aut fundum vendidit locavitve servus non obligatur civiliter, & propterea ob defectum civilis obligationis conveniri non potest in iudicio actione venditi vel locati. l. nec servus. 4. D. de pecul. l. servus in iudicio 6. C. de judic. Cum obligatio civilis quæ videlicet juris necessitate quempiam ad quid dandum vel faciendum adstringit l. 3. in princ. D. de O. & A. servos non teneat quia pro nullis habentur, l. quod attinet 32. in fin. D. b. tit. Mortuis comparantur. l. servitutem 209. D. eodem, de quibus suprà add. Petr. Fabr. h̄c. Ratio autem differentiæ inter contractus & delicta hæc est, cum quia in contractibus res versantur, quas nullas habet servus, tum quia in rebus spectatur dominium vel obligatio, quæ sunt juris civilis: in delictis tantum corpus & voluntas, quæ sunt naturalia, recte etiam ea servus habet. Unde fit quod servus ex criminе teneatur in pœnam, si modò talis est quæ in eum cadere potest, ut est ultimum supplicium. Cum vero bona non habeat, in eum etiam pœna publicationis bonorum, quemadmodum nec relegationis aut deportationis (quia non est civis) eadere vix potest. Sed hæc modernis temporibus exiguum utilitatem habent, cum hujusmodi servilis conditionis homines Germania nostra exceptis quibusdam locis, haud agnoscat.

§. I.

Generaliter probandum est ubiung in bona fidei iudiciis] Judicium aliud est bona fidei, aliud stricti juris, aliud arbitriatum. Bonæ fidei est, ex cuius natura judici permisum est statuere, quod ex bono & æquo sibi videtur. Stricti juris est, in quo judicis potestas est limitata, & stricto jure

readligata, atq; adstricta. Arbitrarium est, quod ex sua naturâ est stricti juris, sed ex accidenti sit bona fidei: veluti quia res per stipulationem promissa petitur aliô locô quam quo solvi debuit. *Dd. ad §. actionum 28. & §. præterea 31. Inst. de Action.* sed de his infr.

Confertur in arbitrium] Quot modis vocabulum arbitrii in jure nostro sumatur, suprà in enodatione primâ diximus. Jam pauca de generibus arbitrorum subjiciemus. Sunt autem arbitrorum duo genera: unum ejusmodi ut sive æquum sive iniquum statuat parere debeamus; quod observatur cum ex compromisso ad arbitrum itum est. Alterum ejusmodi (*de quo in subsequentibus*) ut ad boni viri arbitrium redigi debeat, etiam si nominatim persona certa sit comprehensa cujus arbitratu fiat *vid. l. societatem 75. D. pro socio.* Illud etiam dicitur plenum, merum & liberum: hoc boni viri arbitrium. *vid. l. fideicommis. II. §. quam autem ibi: non enim plenum arbitrium voluntatis heredi dedit, sed quasi viro bono commissum relictum. D. de legat. III. l. utrum ita 7. §. cum quidam. D. de reb. dubiis.* Merum in certam personam, uti dictum, ita confertur, ut committatur ipsius liberæ voluntati, sive æquum sive iniquum esset, & parere necessum foret, ut si dictum fuerit: Si Titius existimat, si justum putarit, si comprobaverit, si videbitur. Obligantur enim quia se subjecerunt arbitrio etiam iniquo, & solus nominatus arbitrari potest. *l. in compromis. 45. D. de recept. arbit.* Eo non arbitrante nihil actum intelligitur. *l. ult. ibi: Sin autem vel ipse noluerit, aut non potuerit pretium definire: tunc pro nibilo esse venditionem, qf. nullo pretio statuto &c. c. de contrabend. empt.* De his arbitratis pauca quædam ex tit. *D. de recept. arbitr.* in enodatione hâc dicenda sunt. Sunt autem arbitrii, qui de communi partium consensu eliguntur judices *SchiedsRichter/* ut finem suâ sententiâ controversiis imponant. *l. Pomponius aie 3. §. recepisse 2. D. de recept. arbitr. l. penult. D. de judiciis.* Et quidam adeuntur ut per compromissum Veranlassung vel jurejurando, vel stipulatione pænæ, quam pars à lando seu

G

judi-



judicatis decedens, præstare parti adversæ cogitur. c. à ju-
dicibus 2. quæst. 6. avtib. decernit. c. de recept. arbitr. Nov. 32.
c. quia multæ 11. Unde & judices compromissarii appelle-
lantur l. Prætor. 4. D. detutorib. & curatorib. dat. ab his. 5.
l. penult. D. de judic. quorum sententia laudum vocatur
cine Weisung/ ein Urtheil der Willkürlichen Richter. Qui-
dam ex nudo consensu, absq; jurejurando vel poenæ pro-
missione. l. penult. c. de recept. arbitr. l. ult. c. ubi & apud
quem cognito in lege restit. Possunt autem arbitri esse cu-
juscunq; dignitatis homines l. Labeo ait. 3. §. Traetemus de
personis 3. l. Pedius 7. in princ. D. de recept. arbitr. sive sint Pa-
tres sive Filiisam l. sed & filius. 5. Laici sive Clerici. c. per
tuas 9. c. exposita n. n. eod. Mynsing. cont. 2. ob. 67. unus vel
plures. l. item si unus 17. §. item si plures. 2. §. si in duos. 5. l.
diem proferre 27. §. si plures 3. D. dict. tit. Si tamen plures ar-
bitri fuerint & diversas sententias dixerint ei sententia sta-
tur cui major pars consentit. d. l. 27. §. si plures 3. D. de eod.
Compromittere quoq; possunt seu arbitrios eligere omnes,
qui liberam rei suæ administrationem habent, & qui tran-
figere possunt: non solum partes principales, verum etiam
tutor, curator, & procurator habens ad hoc speciale man-
datum, vel generale cum liberâ bonorum administratione.
Bartob. in l. procurator. 63. & in l. mandato generali 60. D. de
procuratorib. Dd. ad l. si procurator io. c. eod. tit. tam filii quam
Patres fam. l. licet 3. §. sed si solius 9. §. 10. ff. de pecul. In omni-
bus etiam communis regulariter compromitti potest in
arbitros l. de rebus 4. D. de recept. arbitr. exceptis causis cri-
minalibus, de quibus publicum judicium est constitutum,
& matrimonialibus, causæ liberali, & restitutione in inte-
grum. l. non distinguemus 32. §. Julianus 6. & 8. l. de liberali 7.
D. de recept. arbitr. Marant. in specul. aureo part. 6. de compro-
miss. n. 14. alimentis. Jason. in leg. de alimentis in princip. D. de
transaction. rebus alienari prohibitis vid. l. 32. D. de recept.
arbitr. De eis item rebus & rationibus controversiis judi-
care arbiter potest, quæ ab initio fuerunt inter eos qui
compromiserunt, non quæ postea, supervenerunt. l. de eis
46. D. eod

46. D. cod. in re quoq; suà nemo arbiter esse potest. l. penale.
eod. Omnis autem tractatus ex ipso compromissô sumen-
dus est. Nec enim aliud illi licebit, quam quod ibi ut ef-
ficeret cautum est. Non ergò quidlibet statuere arbiter
poterit, nec in quâ re liber, nisi quâ de re compromissum
est. l. non distinguemus 32. §. de offic. D. dict. tit. vid. Freig. in
w. ibid. Wesenb. eod. Pac. Isagog. Emeric. à Rosbach. in prax.
civil. tit. de arbitris & arbitratoribus. 6. & Dd. ibid. allegatos.

Domini vel procuratoris] Quoties conditio confertur,
in domini vel procuratoris ejus arbitrium, in judiciis scil.
bon. fidei is adhibere debet in judicando boni viri arbitri-
um, quod ex bonâ fide proficiuntur, quod scil. quis in rebus
suis ficeret, vel quod vellet sibi fieri. *Dec. huc.* bona fides e-
nim exigit, ut tale præstetur arbitrium, quale bono viro
convenit, quia ut actus valeret potius quam periret placuit
veteribus, conditionem magis in boni viri arbitrium col-
latam videri, quam in plenum, merum & liberum arbi-
trium. Quid si in extranei conferatur arbitrium? Distin-
guendum est: Utrum generaliter in alicujus incerti arbi-
trium, an in Titii vel Seji collata fuerit conditio. Nam
illo casu, si merces promissa sit generaliter, alieno arbitrio
locatio & conductio contracta non videtur, l. *si merces in*
princ. 25. D. Locati. At hoc casu, puta quando societas me-
cum coita est ex iis partibus, quas Titius arbitratus fuerit,
vel ita, ut Titius communis amicus partes societatis consti-
tueret, arbitrium Titii, Proculus ait, ad boni viri arbitra-
tum redigi debere quamvis nominatim persona sit com-
prehensa, cuius arbitratu fiat: eò magis, quod judicium
pro socio est bonæ fidei. l. *societatem 76. & l. in proposita 78.*
D. pro socio.

Eius conditio pro boni viri arbitrio hoc habendum esse]
Hactenus de arbitrio plenô, nunc de boni viri arbitrio di-
cendum est. Arbitrium boni viri personam egredi po-
test, quamvis certa persona sit in quam collatum est, dum
enim personæ nomen additur non tam personæ quam

æquitatis nomen addi videtur. Si igitur contra æquitatem ab ipso statutum fuerit, alium adire licet. l. ult. D. rem pupill. salvam for. l. si societatem 6. D. pro socio. Exemplum hujus regulæ notabile reperitur in l. 7. D. de contrabend. empt. V. C. Titii Procurator Mævio servum vendidit, hæc conditione, si servus rationes domini arbitrio reddidisset: si dominus nolit rationes accipere, nihilominus conditio habebitur pro impletâ, & poterit Titium emptor ad servi traditionem compellere. Quod si dixerit quis conditionem ipsius arbitrio permissam esse respondebitur ex hæc regulâ, permissam quidé esse illam conditionem arbitrio Titii, sed non mero, pleno, personali & libero, verum boni viri, Titius enim in culpa est, quo minus conditio impletatur & arbitrium fiat. Et subjungit JCtus; Placuit itaq; veteribus magis in boni viri arbitrium eam collatam videri, quam in domini. Eodem modo si in lege locationis dictum sit, ut arbitratu domini, opus approbetur, perinde erit ac si boni viri arbitrium comprehensum fuisset. l. si in lege. 24. D. Locati. Item si inter socios convenerit, ut alter eorum partes lucri constitueret tota ea res ad boni viri arbitrium est redigenda, & habenda est ratio operarum pecuniarumq; in societatem collatarum l. societatem s. D. pro socio. Potest hujus regulæ exemplum, ob favorem & mentem testatoris, & in legatis dari, ut si in legatis arbitrio alterius quid legatum fuerit, ad viri boni arbitrium redigendum est V. C. Lego tibi decem annua, quæ Titio visa fuerint tibi tradenda l. 3. ff. de annuis legat. Lego tibi dotem arbitrio tutoris. Hic certè tutor non pro lubitu, sed officio boni viri fungi & arbitrari debet. l. 43. D. de legat. III. Ita etiamsi testator dixerit.: Sticho libertatem dato si volueris. Siquidem totum in libertate heredis posuit, non valet fideicommissum hoc. In dubio tamen debetur libertas, heredi enim arbitrium tanquam bono viro datum arbitramur. l. fideicommissario. 46. D. de fidei.

commissar. libert. vid. Petr. Fabr. Philipp. Matth. Hippolit.
a Collib. Neldel. & alii Regulisti. hic præ ceteris Bronchorst.
centuria 2. evart. 50. ubi contraria resolvit. Adverten-
dum autem hic est, quod Jctus hæc procedere dicat
in bonam fidem judicis. In strictis enim judiciis vel
contraetibus, arbitrium strictè sumitur, & à personâ
eius cuius arbitrium incertum est, recedendum non est.
l. si quis arbitratu 43. in fin. D. de V. Obl. quia in his ar-
bitrium non semper pro arbitrio boni viri accipitur,
sed tum demum, si ipsorum contrahentium arbitrium
electum sit. vide l. 3. C. de dot. promiss. l. si
libertus 30. D. de oper. libertor. l. cum post

69. S. gener. D. de ju-
re dot.



C 3 Addi-

Additamenta.

1.

Absolutus à Banno, non solum bonis verum etiam famæ & honoribus regulariter restituitur. *Gail. de P.P. libr. 2. cap. 19.*

2.

Fiscus, sicut minor XXV. annis, in integrum non restituitur. *Fachineus lib. 9. cap. 80.*

3.

Compromissum, socij nocet socio. *Pac. cent. 3. evant. quest. 18.*

4.

Prælatus de rebus Ecclesiæ, sine consensu capituli sui, compromittere non potest. *Speculat. tit. de Arbitr. §. restat. circ. fin.*

5.


Reductio ab arbitrio boni viri, coram judice ordinario petenda est. *Myns. cent. 2. obs. 61.*

Ad


X 2615918

VJ 17





FarbKarte #13



DEO OPTIMO MAXIMO FORTUNANTE
ENODATIONEM *1647* *29* *12* *4*
LEG. XXI. ET XXII.
TIT. PANDECTARUM *22*
POSTREMI,
Quæstionibus materiae subjectæ
convenientibus illustratam, & ad disputandum
In Inclytâ Leucoreâ
Ex Decreto atq; Authoritate Amplissimi
Collegij Juridici propositam,
SUB PRÆSIDIO
H E N R I C I C O S E L I I
de Pezlinovez J. U. D. Facultatis Juridicæ Assessoris
gravissimi, nec non Curiæ Electoralis Advocati Ordinarii,
Præceptoris, Promotoris atq; Affinis æternum
venerandi.
Eruditorum Examini subjicit
C H R I S T I A N U S K L E N G E L,
Dresdensis.
Ad diem 15 Septembris. Februar.
horis & loco consuetis.
WITTEBERGÆ,
Excudebat JOANNES RÖHNERUS, Acad. Typogr.
Anno 1647. *15*